

QUÆSTIO XXIV.

Quare D. Stephanus Luciferum appellat Rempham stellam obscuram, & tenebrosam?

219. Divus Stephanus arguens perversitatem Judæorum, quia derelicto cultu veri Dei à quo tot, & tanta beneficia receperant, adorarunt Solem, Lunam, & Stellam, & præcipue splendidissimum Sydus, quod D. Stephanus appellat Rempham, quod Sydus Interlinealis, Beda, Lyranus, ac M. Didacus de Bæca lib. 6. de Christo figurato lib. 12. cap. 8. §. 2. & alii tenent esse Luciferum matutinum, seu Auroram, quæ ante Solem fulgentissime resplendet, quam etiam multo tempore coluerunt Turcæ, ac Sarraceni sub nomine Cobar, ut memorat Constantinus Imperator lib. de administratione Imperii ad Romanum filium cap. 14.

Interlin. Beda. Lyan. Bæca.

Conflan.

220. Theod. Scolias. Occum.

221.

Honor indebitus non honor sed deprimi. D. Ath.

222. Luc. 15.

Honor improprie honoratus injuriosus. D. Chrysol.

Quæstio tamen est cur tam splendidum Sydus appellatur à D. Stephano Rempham, quod Theodosius, & ejus Scholias, simul & Oecumenius dicunt Rempham verè esse species tenebrarum; quæ tamen coherentia datur inter fulgentissimum Sydus; unde oritur in mentem D. Stephano tam splendidum astrum, quod tenebras dissipat, dum mane scintillat, tenebras appellare, ac dicere.

221. Expende, ait D. Stephanus: Sydus Dei vestri Rempham, figurat, quas fecistis, ut adoraretis eas. Cum autem sidera tamquam quid divinum ceperunt ab hominibus coli, ac adorari ex tam indebito cultu, ceperunt apud homines obscurari, ac obtenebrari, ut non sint fulgentissima sidera, sed densa, ac colligi novæ tenebræ mentes obscurantes, ac obtenebrantes: Ad hæc pulchre ait D. Athanasius oratione in Parasceve, hæc habetur apud Grethfer tom. 2. de Cruce, & ait: Magnum quidem opificium est Cælum; magnum quoque Angelorum natura est: cum hic Sol contendens, & terra, sed cum hæc omnia pulchra in primis fuerint, homo tamen eorum pulchritudinem deturpavit immoderata venerationis abundantia injuriam eis ipsi, quæ coleret, molitur? cum enim in res conditas admirationem contulisset, quæ verum conditarum modum superaret, & excederet, & ignominiam eis, quæ coleret, effudit. Cultus, & dignitas deconveniens, & improprie non infervit ad honorem, sed ad injuriam, & opprobrium: Ignominiam eis, quæ coleret, effudit.

222. Prodigis reversus ad patrem exclamat, Pater peccavi in Cælum, & coram te. Luc. 14. numer. 20. Quod contra Patrem peccaverit, Deumque offenderit, facile intelligitur, sed in quo extitit ejus peccatum, ac offensa contra Cælum, cujus ultra magno cultu, ac reverentia venerabatur, ut tamquam Deum adoraret, in eo graviter offendit, quod adoraret; immodicus honor, ac improprie honoratus non extollit, sed deprimi, & in contumeliam, & injuriam illius, cui tribuitur, vertitur. D. Chrysologus serm. 5. ait: Peccavit in Cælum, dum in Cælo Solem, Lunam, sidera Deus esse blasphemavit, & hæc eadem profanat adorando. Vide supra cap. 1. q. 39. n. 276. 277. 278. & cap. 3. expolit. 8. n. 94.

Astor. 5. num. 45. Quod & induxerunt suscipientes Patres nostri cum Iesu in possessione gentium, quas expulit Deus à facie Patrum nostrorum usque in diebus David. Num. 46. Qui invenit gratiam ante Deum, & petit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob.

Num. 47. Salomon autem ædificavit illi domum.

Num. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit.

Num. 49. Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum: Quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est?

Num. 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia.

Versiones

CVM EXPOSITIONE X.

Vers. 45. Quid induxerunt Patres nostri. Syriacus: Quod quidem tabernaculum etiam introducendo introduxerunt. Ista repetitio significat magnam vehementiam, multumque ardorem Hebræorum in transferendo tabernaculum: Illud autem tabernaculum dicebatur, in quo arca tenebatur inclusa: Unde apud nos locus, in quo Sacra Eucharistia habetur, dicitur tabernaculum, ut observat Masius ad cap. 3. Josue: & ubi nos habemus Suscipientes Patres nostri, alii legunt: Portantes; quia ad transitum Jordanis stupendo miraculo Sacerdotes portaverunt Arcam Josue 3. num. 12. sicut ad expugnandam Jericho Josue 6. n. 6.

224. Cum Iesu, seu Josue, quo significabatur, quod cum Iesu Christo nobis datur ingressus in Cælestem patriam: In possessionem gentium, eos introduxit Josue in terram Chanaan, quæ erat possessio gentium: Usque in diebus David, seu ut clarius habet Græcus: Usque ad dies David; nam tabernaculum Moysis perseveravit usque ad dies Davidis; ipse enim David per filium Salomonem pro tabernaculo mobili, & angusto Moysis decrevit facere templum firmum, stabile, valde amplum, & magnificentum.

Vers. 46. Qui invenit gratiam apud Deum. Syriacus: Qui invenit misericordiam in conspectu Dei. Arabicus: Qui parvus fiduciam apud Deum: qui gratus fuit Deo, & dilectus ab ipso petit, ni inveniret tabernaculum. Petit, ut Deus designaret ei locum ad ædificandum templum, & tanta vehementia, ut ediderit votum non ingrediendi propriam domum, donec à Deo acciperet locum demonstratum à Deo Psalm. 131. numer. 2. Votum voti Deo Jacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

Hunc locum postulavit David à Deo sibi ostendi, cum pestis valde horrenda sæviret in populum. 2. Reg. 24. & tunc per Gad Prophetam intellexit, vel Deum in eodem loco, & colle, in quo Davidi apparuit Angelus gladium vibrans, id est in monte Moriâ, ubi Deum offensum sibi placaverat, ubi illico sacrificium obtulit, & emit aream Ornam Jebusæi, cæteraque omnia ad sacrificandum, templum comparavit, atque congregavit.

Deo Jacob, sicque dicitur citato loco Psalm. 131. numer. 2. & peculiariter dicitur Deus Jacob, quia fuit primus, qui fecit simile votum, & erexit lapidem, qui dicebatur domus Dei Genes. 28. num. 22. & cum dicitur Deus Jacob, intelligitur etiam Deus Patrum suorum Abraham, Isaac.

Vers. 47. 48. Salomon ædificavit domum, id est templum. 48. sed non excelsus in manufactis habitat. Syriacus: At altissimus ille non habitat. Arabicus: Excelsissimus; Deus cum sit infinitus, incomprehensibilis, & immensus ubique est, & omnia replet, & hic D. Stephanus refutat errorem Judæorum existimantium Deum esse affixum suo templo. Unde Christus

Christus Dominus dixit Samaritanæ: Vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Joan. 4. numer. 20. Deus enim, cum ubique sit, ubique adorari potest; Deus tamen proprie, & formaliter habitat in semetipso in sua Divinitate, & immensitate, effectivè ac demonstrative in toto mundo; ac in templis, prout Deus in eis vult honorari, coli, ac adorari, & ob talia obsequia ibi peculiariter exaudit nostras preces, ac orationes.

Joan. 4.

229. D. Tho.

230. Syriac.

Isaïe. 66.

Psal. 10.

Psal. 120.

231. Matth. 5.

D. Tho.

232. Syriac. 3. Reg. 8.

Dicitur autem Deus; altissimus, Excelsissimus, ut ait D. Thomas ad cap. 3. Job vers. 28 quia ille solus, & nullus alter venerandus est super omnia & alto latitæ cultu. Sicut Propheta dicitur Isaïam intelligit.

Vers. 49. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Syriacus: Cælum mihi thronus, & terra scabellum pedum meorum. Locus desumptus est ex Isaïa 66. n. 1. & ex eo probant omnes Patres Deum esse immensum ubique, & omnia implere; Cælum mihi sedes, seu thronus sic & multis in locis Psalm. 102. n. 9. Dominus in Cælo sedes ejus. Psalm. 102. n. 19. Dominus in Cælo paravit sedem suam. Dicitur Cælum sedes ejus; quia ibi electis suam Divinitatem ostendit, gloriamque, & hoc indicat Josue.

Terra autem scabellum pedum meorum. Sic etiam ait Christus D. Matth. 5. n. 35. Nolite jurare, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; & dicitur scabellum pedum ejus, quia terra est quod minimum; ac inferius, veluti sub pedibus supposita, ut ait D. Thomas, & in ea minora ostendenda præbet Deus, quam in Cælo.

232. Quam domum ædificabitis mihi. Syriacus: Quam adem, tamquam si dicat (explicat Lyranus) nullam, sed tantum ad hoc, quod ibi fiat Deo oblatio orationum, ac sacrificiorum, ut dixit Salomon, 3. Reg. 8. Aut, quis locus requietionis meæ; tamquam si dicat, nullus creatus est, nam Deus habitat, & quiescit in se ipso antequam mundum crearet per infinita sæcula; in se ipso habitabat, & quiescebat, & per mundi creationem nihil ei denuo adventit, neque in illo aliqua mutatio facta est, cum ipse sit immutabilis.

Act. 7. n. 51. Dura cervice, & incircuncis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos?

Num. 52. Quæ Prophetarum non sunt percepti Patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuñtiabāt de adventu justitiae, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.

Num. 53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.

Versiones

CVM EXPOSITIONE XI.

233. Syriac. Arabic. D. Chrysol. Ethiop.

Vers. 51. Dura cervice, & incircuncis cordibus, & auribus. Syriacus: Duri cervice, & auditu, Arabicus: O quorum dura sint cervices. D. Chrysol. Incircuncis labiis. Ethiopicus: Incircuncis cordibus, & surdis auribus. Tria notat D. Stephanus in Judæis. Prima, quod sint dura cervice, id est obstinati, inflexibiles, & obdurati, qui nolunt Evangelio obedire, sumpta metaphora à vitulis, qui jugum cervici impositum rejiciunt. Secundo incircuncis cordibus, id est cor, & aures habetis, pelle ac tegmine infidelitatis obductas, & non vultis circuncidere, & auferre à vobis, & hoc cor obduratum ac lapideum notabat in eis Deus per Ezechiel, 6. n. 3. Tertio, & auribus, ut legitur Ethiopicus surdis, nempe obduratas

Ezech. 36.

habentes, in hujus rei signum Constantinus Imperator, ut refert D. Chrysol. homil. 2. contra Judæos justitiam D. Chrysol. eis amputare aurículas, & in hujus rei symbolum D. Petrus Malchum valde sollicitum in Christi comprehensione amputavit auriculam dexteram, ut denotaretur Judæos perdituros aurem dexteram ad percipiendam Christi mysteria.

Vos semper Spiritui sancto resistitis. Syriacus: Vos in omni tempore Spiritui Sancto resistitis. In quo Syriacus admonemur de nostrâ libertate, ut docet Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. Sicut & Patres vestri, ita & vos, ut dicitur Psalm. 27. n. 8. Ne sicut patres eorum generatio prava, & exasperans, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus.

Vers. 52. Quem Prophetarum non sunt percepti Patres vestri. Græcus habet: Quem ex Prophetis. Ostendit Divus Stephanus suorum Patrum prævaricationem Patres vestri, ut explicat Lyranus, pauci fuerunt, qui non persequerentur, & occiderent eos, scilicet Prophetas, ut notat D. Hieronymus passim in prologo Prophetarum Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, &c. qui ferè omnes ab eis interfecti sunt, ut ostendi in Opusculis opusculo 1. resol. 3.

Qui prænuñtiabāt de adventu Justitiae. Græcus: Qui prænuñtiabāt de adventu Justitiae, scilicet Christi Iesu, qui antonomastice, simpliciter, & absolute omnibus modis est justus, & omnes in eum credentes facit justos, ideo à Daniele cap. 9. numer. 24. Vocatur Sanctus Sanctorum, justitia sempiterna; sic & Isaïæ 45. n. 8. Nubes pluuunt justum, Jerem. 23. num. 5. Germen justum.

Cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis, Græcus Occisores, quia per Iudam eum prodidistis, & data pecunia eum emistis, ejus proditionem sollicitantes. & vos eum proditum à Iuda tradidistis Pilato, & Gentibus, ut ipse Christus prædixit: Tradent eum gentibus ad illudendum; & flagellandum, ac crucifigendum Matth. 20. n. 19.

Vers. 53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum. Syriacus: Per manum mandati Angeli, Arabicus: Secundum præscripta Angelorum; Oecumenius: Secundum dispositiones Angelorum. D. Augustinus de Civitate Dei cap. 20. In diebus Angelorum. Græviter, & valde opportunè hæc adjungit Divus Stephanus retorquendo argumentum contra ipsos Judæos; ipsi accusabant Stephanum tamquam legis contemptorem, ipse verò ostendit eam habere in magna veneratione, utpote datam per Angelum, & inde ostendit ipsos, & Patres eorum esse legis contemptores, quia contra legis præcepta ipsi justum occiderunt, & patres eorum Prophetas, & non custodistis, ut ait Christus D. Irium fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram Matth. 15.

QUÆSTIO XXV.

Quare Divus Stephanus tam acriter invehitur in Judæos, cum valde lenis extiterit in exordio prædicationis, ac sine, ut pro eis etiam exoraret?

Valde lenis extitit Divus Stephanus in exordio suæ prædicationis, ut eos diceret: Viri fratres, & Patres audite ut patet ex hoc cap. num. 2. cum eos quietos, & tamquam benevole audientes vidit, benevole ac placide cum eis agit, cum eos protervos, ac obliatos agnovit rigide in eos invehitur. Oecum. Quia prædicator videbat illos non advertere animam, quæ dicitur ab eis. Ut accomodetur ergo obfirmatos eos vidit sua in pertinacia rigide in se audiosos invehitur, audacia, & fortitudine Apostolica ut sic eorum nequitiam magis cõtereret, ac cõminueret; Spiritus

239.

Oecum.

Quia prædicator videbat illos non advertere animam, quæ dicitur ab eis. Ut accomodetur ergo obfirmatos eos vidit sua in pertinacia rigide in se audiosos invehitur, audacia, & fortitudine Apostolica ut sic eorum nequitiam magis cõtereret, ac cõminueret; Spiritus



Spiritus Apostolicus valde diversis verbis utitur pro auditorum dispositione; ut quos benevole allicere non potest, severitate compescat. Vide quæ dixi tom. 2. in Evang. cap. 10. q. 3. n. 18. 19. 20. & tom. 1. in Apocalypf. cap. 8. q. 4. n. 48. 49. 50.

240. Secundo, & notatu dignissimum; modo tam dure increpat dura cervice, & statim flexis genibus pro eis exorat: Domine ne statuas illis hoc peccatum; ut significaretur, ait D. August. serm. 1. de S. Stephano, quod ipse non habebat odio Judæos, sed eorum malitiam, ac perversitatem, in quo sensu ait Regius Vates: Perfecto odio oderam illos, Psal. 138. n. 22. Perfectum odium non odit hominem, sed peccatum.

241. Tertio ad idem D. Augustin. Psal. 132. & ait: Quando debuit plus irasci Stephanus, quando audiebatur, aut quando lapidabatur? Ecce mihi factus est cum lapidaretur, & saeviebat cum audiretur. Venientibus in se lapidibus non visâ est charitas, quia unguentum à capite descendebat. Sapientissimus Medicus, ac Magister, primo leniter, ac suaviter agit, dicens: Viri fratres, & Patres, & cum nihil proficit ad ferum severitatis recurrit, Dura cervice, & incircumcis cordibus, cum adhuc eos obstinatos, & obduratos vidit pro sua ferventi charitate ad Deum se convertens recurrit, ut eorum animos emollescat, & ideo omisso increpationis gladio, suave Christi unguentum adhibet, pro eisque rogati Ne statuas illis hoc peccatum.

242. Quarto, compone modo hanc acerbam, & duram reprehensionem: Dura cervice, & incircumcis cordibus. Cum illa summa clementia, ac pietate: Domine ne statuas illis hoc peccatum; an cum reprehendebat, minus amabat, quam cum pro eis orabat, an in prima reprehensione erat aliquod odium adversus rebelles? absit, sed totum erat ex ferventi charitate erga hostes suos. D. Fulgentius serm. de Sancto Stephano ait: Neque enim fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cum pro eis oraret, & non dilexisse cum eorum incredulitatem arguendo corripere, absit hoc ab anima martyris ad Cælum festinantis. Ab anima ad Cælum festinantis valde longe abest, quod in hostium amore aliquantulum tepescat, sed maxime in eorum amore fervescit, ut cum ad Cælum festinat omnes secum vult habere socios, ut cum ipso Cælum ingrediantur, & suæ Cælestis felicitatis vult eos secum habere participes. Absit hoc ab anima Martyris ad Cælum festinantis.

243. Quinto Stephanus si homicidas, & proditores vocat, quando eis salutem negotiatur: Ne statuas illis hoc peccatum, severitatem illam, non odium, sed charitas imperabat, cujus eximius affectus inter sævissimas iras interdum, & aspera relucet, & cohibere non potest, quin sui radios emittat. Divus Chryostomus homil. 17. in Acta ait: Quod non ex furore locutus fuerit Stephanus, ostendebat quando in cruciatus pro illis orabat, & dicebat: Ne statuas illis hoc peccatum, adeo non irascebatur illis, sed dolebat pro illis, & mordebatur hæc dicens: Proditores, & homicidas.

Ait Deus Moyfi: Ecce constituisti te Deum Pharaonis Exod. 7. numer. 5. cur non potius illius fit Judex, sed Deus, cur tantam supereminentiam Deus sibi non reservat, sed etiam eam committit Moyfi datur magna differentia, Judex potest inferre malum delinquenti, sed non potest auferre, cum non sit supremus Dominus; at cum Deus talis sit, solus ille potest removere malum, quod infigit. Divus Hilarius lib. 7. de Trinit. ait: Ad Moysen dicitur: Dedi te Deum Pharaonis, cum Cynoniam, quam immiserat, abigit, cum grandinem potestate, qua evocaverat, avertit; cum locustas ea virtute, qua

244. Exod. 7. Ait Deus Moyfi: Ecce constituisti te Deum Pharaonis Exod. 7. numer. 5. cur non potius illius fit Judex, sed Deus, cur tantam supereminentiam Deus sibi non reservat, sed etiam eam committit Moyfi datur magna differentia, Judex potest inferre malum delinquenti, sed non potest auferre, cum non sit supremus Dominus; at cum Deus talis sit, solus ille potest removere malum, quod infigit. Divus Hilarius lib. 7. de Trinit. ait: Ad Moysen dicitur: Dedi te Deum Pharaonis, cum Cynoniam, quam immiserat, abigit, cum grandinem potestate, qua evocaverat, avertit; cum locustas ea virtute, qua

invexerat, repulit, cum in operationibus ejus Magister mentem confiteretur dignum Dei esse, sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, cum oratur, dum punit, dum medetur. Expende ultima verba Dum punit, dum medetur; talis est Spiritus Divinus, dum punit, ibi radios suæ pietatis, ac clementiæ ostentat, effudit Deus iram suam in ægyptum, sed cum clementia, ut amoverit, ac suspendi valerit.

Ait Regius Vates Psalm. 74. numer. 9. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen sex ejus non est exinanita. Allusio ad pestilentiam, quam misit Dominus in Israel per tres dies ob numeratum populum, & non perduravit per unum integrum 2. Reg. 24. Cur ergo fax illa non est exinanita; quis illam contuit? misericordia nempe continuit Calicem ne totum effunderetur, semper Deus in omni ira sua misericordiæ recordatur. Divus Ambrosius in Psal. 37. ait: Plenus erat Calix ad terrendum, ad ferendum non est exinanitus; Plenus erat Calix, cum mors per triduum mandaretur, sed occurrit Misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam Calicem istum exinaniret.

QUÆSTIO XXVI.

Quare Divus Stephanus dum præsentis Iudeos arguit, eorum parentes commemorat nequissimos?

Ait D. Stephanus in præsentis: Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos, quem prophetarum non sum persequuti Patres vestri, cuius vos proditores, & homicida fuistis. Expende illa verba: Ita & vos, ut tam intolerabiles, & inveterata sit vestra malitia, ita ut cum sanguine, ac successione hausta, ac participata, D. Chryostomus ibi: Et quod majus est, sicut Patres vestri, inquit, ita & vos. Et quidem majus est, & intolerabilius, & ruinæ extremæ valde vicinum, quod cum sanguinis propagatione propagentur, & vitia, ut videantur cum ipsa natura congenita, & inde valde difficiliter, ut evelli possint.

Ait Christus Dominus Matthi. 23. numer. 31. Vae Scriba, & Pharisæis. Itaque testimonium estis vobismetipsis; quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt; & vos implete mensuram patrum vestrorum, serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehenna. Ad quæ verba sic ait Divus Hieronymus: Sicut de viperis nascuntur vipera, sic de homicidis parentibus vos nati estis homicida. Veniunt enim cum sanguine mores. Illud in rem nostram maxime est expendendum: Quomodo fugietis à iudicio gehenna. Cum in vobis malitia ita sit congenita à majoribus; Quomodo fugietis iuxta communem sensum Patrum; nullo modo fugietis à meo iudicio, quo ego vos condemnabo ad supplicium Inferni sempiternum tam propter meam, quam propter mortem meorum discipulorum.

Sed unde isti miseri, ac patres eorum in tantam nequitiam, ac stultitiam venerunt, ut interficerent Prophetas justos, & sanctos, qui ad eorum salutem missi erant, quos eorum Patres maxime venerari, ac colere debebant, ait de eis Regius Vates Psalm. 105. numero 37. Immolaverunt filios suos, & filias suas Demoniis, Quid magis execrabile, ac inhumanum excogitari potest, quam quod Patres contra omnem naturæ jus filios jugularent, ac sacrificarent Dæmonibus; sed cum ad tantum nefas inaudita malitia

malitia pervenit, ibi non quievit, sed ultra processit, & ad aliud horrendum crimen se extendit, ut cum ferro armato, & gladio eviginato justos, ac Sanctos Dei occideret. Divus Hieronymus ad cap. 57. Isaiæ ait: A paricidio liberorum, ad Prophetarum sanguinem pervenerunt; & ideo in Ierosolymitanum excidium tot hominum millibus interfecit incidere.

Veniunt Angeli in Sodomam, statim Sodomitæ insurgunt; ut eis abuterentur, ita ut domum Loth, in quam se receperant, vallaverint; ut Angeli ad eorum manus pervenirent. Tunc Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrah sulphur, & ignem à Domino de Cælo; & subvertit Civitates hæc, & omnem circa regionem. Genes. 19. numer. 24. Cur Domine, non magis miseris creaturæ esto quod Sodomitæ vellent abuti hospitibus Loth, tu valde benignus; & longanimitis expectans peccatores ad penitentiam, cur hos non expectas, vel saltem cur ante tantum supplicium aliquam non præcessit admonitio, ut factum legimus cum Ninivitis: Adhuc & quadraginta dies & Ninive subvertetur, Ionæ 3. nu. 4. Cur etiam eis non conceditur aliqua reprehensio, vel aliquod penitentiae tempus? Ubi tantum excrevit eorum malitia, ut non tantum quiescerent suo nefando crimine in suos, sed etiam extraneos, & alienos vellent ad illud adducere, & trahere; addendo; & multiplicando suis peccatis nova peccata, ex tanto criminis excessu, fiebat evidens, quod nulla admonitio proficeret, indeque in eos extrema ruina evolavit. D. Machar. homil. 4. ait: Temporibus Sodomorum accidit; nam cum multa deliquissent, ne se converterent, postremo in tam grave peccatum occiderunt ob pessimum in Angelos initium consilium; ut ut nullam postea penitentiae facultatem habuerint, sed perpetuo reprobati sunt: Impleverant terminum scelerum, imo etiam excesserant; quapropter Divino iudicio incendio traditi sunt. Quod etiam probat exemplo Pharaonis, qui post decem plagas non quievit, sed insecutus est Isaelitas per medium maris, à quo suffocatus est. Exod. 14.

QUÆSTIO XXVII.

Quare lex dicitur data per dispositionem Angelorum?

Aliqui Codices habent per dispositiones, per mandata, & præcepta Angelorum, per Angelos Magister sententiarum, D. Chryostomus, Oecumenius, D. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius, Primasius, & alii, multi in Epist. ad Galatas cap. 3. numer. 19. & epist. ad Hebræos cap. 2. num. 20. Ubi dicitur Lex ordinata per Angelos, per hos Angelos intelligunt Moysen, Aaron, & Iohæ; Tamen D. August. D. Hieronym. D. Anselm. Theodor. Glossa, & alii veros, ac proprios Angelos interpretantur, qui sunt administratorii spiritus missi à Deo, ut ait Apostolus Hebræor. 1.

Divus Stephanus hic, & Apostolus citatis locis dicunt in plurali per Angelos, & D. Stephanus in hoc cap. 7. numer. 35. & 38. loquitur in singulari In manu Angeli, cum Angelo, Revera unus fuit Angelus, scilicet Michael, tamen dicitur in plurali ad majorem auctoritatem reconciliandam, ut sæpe Reges loquuntur, Deinde quamvis Angelus loqueretur nomine Dei, etiam multi Angeli inferiores videntur in hoc negotio intervenire ad excitandum ignem, famum, fulgura, tonitrua, & tubarum sonitum, aliaque prodigia, quæ ibi intervenerunt. Exod. decimo nono.

Et recte dicitur cum dispositione, seu per dispositiones, quas observavit Angelus in lege tradenda: Nam primo dedit legem naturalem, seu Decalogum, & in hoc dando illa tria, quæ pertinent ad Dei honorem, deinde alia, quæ spectant ad proximum Exod. 20. Secundo Tradidit leges judiciales cap. 21. 22. Tertio leges Ceremoniales cap. 25. & sequentibus.

Deinde Angelus ante dandam legem multa, & magna disposuit, ut omnes ablutis vestibus se purificarent, ac mundarent, & ut ex monte exirent ignis, fumus, tonitrua, & fulgura, & cum Moyses descenderet portans legis tabulas, maxime resplicebat ejus facies, ita ut filij Israel non intenderent in faciem ejus. 2. Corinth. 3. num. 13. quæ omnia maxime inducebant ad magnam reverentiam, venerationem, ac promptam obedientiam, ac observationem erga legem.

Tandem, & maxime ponderandum, quod ait Divus Stephanus: Qui accepistis legem in dispositionem Angelorum. De hac lege data ab Angelo nomine Dei audiendus est Salvianus lib. 1. Salvian. de Govern. Dei; & ait: Adde tonitrua, adde fulgura; terribiles buccinarum Cælestium sonus, tremendum undique totius aeris fragorem, loquentem quominus Dominum, discentem populum, ac mixtis pene hominibus, atque Angelis unam Cæli, ac terræ Scholam. In quoniam est ista Schola Cæli, & terræ, in qua magna, & alta doctrina dantur documenta? Angelus nomine Dei, & ex mandato Dei dabat legem, & tot, ac tanta commovebat in monte, ut inde discerent homines Dei mandatis obedire; Angelus, ut quatur. obediens Deo dabat legem, ut ac tantis signis; ergo etiam homines tot, & tantis tenebantur legi etiam esse obediens; unde mixtis pene hominibus, atque Angelis una Cæli, ac terræ Schola construeretur.

At hac data lege non discedamus: Cùm Deus descenderet in monte Sion, ut daret legem populo Israhelico: Cæperunt audiri tonitrua, micare fulgura; & nubes densissima operire montem, clamorque buccina vehementius perstrucebat, & tonitruque mons fumabat, eo quod descendisset Dominus super eo in igne; & ascenderet fumus ex eo quasi ex fornace. Exod. 19. numer. 16. & 18. quæ verba ponderans Philo Hebræus lib. 1. Decalogi Hebr. ait: Interea, ut par erat in presentia Numinis omnia perstrepebant prodigiis tonitruis aures obtundentibus; coruscabant fulguribus micantissimis, Obæire Deo sonus tubæ invisibilis è longinquo exaudiebatur, discant hæc. Et ad quid tam extraordinaria omnium elementorum commotio? subdit ipse Philo: Oportebat enim ad Dei adventum tubarum mundum omnibus suis partibus, & exciri ad ministerium. Descendebat Deus leges condens, ac promulgaturus; omnes mundi partes concutiuntur, elementa commoventur tamquam ad promptum obsequium preparata, si forte aliquid eis mandatum sit, & tamquam præsto se exhibentes ad sui Domini famulatum, inde consuetos naturæ terminos transiliunt, sic Deo alto iudicio omnia disponente, ut ab insensibilibus elementis informetur homines in debita, & prompta obedientia suo conditori.

Actor. 7. num. 54. Audientes autem hæc, discitebantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Num 55. Cū autem esset plenus Spiritu sancto intendens in Cælum, vidit gloriam Dei

Plal. 138. 241. D. August. Pro obduratis ad Deum dicitur. 242. D. Ful. In hora mortis charitas erga sibi infens.

243. Inter magnas iras affectus amoris relucet. D. Chrysof. 244. Exod. 7. D. Hilar. Deus dum infert malum

Vnum peccatum aliud rariis fecit importat. D. Hier. 249. Ionæ 3. Grandis poena in ad dantes peccata super peccata. D. Math. Exod. 14.

245. Psal. 74. Deus in suis nunquam effundit iram. D. Ambr. 246. Peccata, & genere prolagata. 247. Matth. 21. 250. Magister sententiarum. Galat. 3. Heb. 2. Verus Angelus. 251. Vnus Angelus. Multi ministri.

252. Exod. 19. 253. Hebr. 1. 254. Obæire Deo. 255. Q. 2.